



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Mvndvs Et Mvndi Partes, Divinæ Bonitatis Ac Ivstitiæ  
Præcones**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadt, 1645**

Capvt XX. Vtilissima, in terræ motibus, rerum caducarum  
contemnendarum mortalibus exhiberi monimenta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52365](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52365)

tur in clade. Iam instaurato ubiq; metu, denuo  
deserta tecta, remeatumq; ad campos. Nuncia-  
tum etiam è citeriore Calabria, in agro Nuc-  
riano pluisse grandinibus tanta mōlis, ut dua-  
rum librarum pondus explerent. quibus ani-  
mantes non pauca sub Dio exanimata, quasi  
lapidatum esset de celo. Grandines quoq; visas  
subuirides, veluti spem facerent melioris for-  
tune. Quamquam si rationes expendimus, spes  
in metum euadit: neq; alia spes affulget, nisi de  
qua poeta. *Aeneid. 4.*

Hunc ego si potui tantum sperare  
dolorem.

## C A P V T XX.

*Vtilissima, in terra motibus, rerum ca-  
ducarum contemnendarum mor-  
talibus exhiberi monimēta.*

1.

**P**

Oterimus & nos, enimuerò &  
debeamus eiusmodi, longèque  
atrociorem expectare tempesta-  
tem, quam Ioël, his verbis prædixit: *A  
facie eius contremuit terra, moti sunt cali:  
sol & luna obtenebrati sunt, & stelle retraxe-  
runt splendorem suum. Et Dominus dedit vo-  
cem suam, ante faciem exercitus sui: quia mul-  
ta sunt nimis castra eius; quia fortia, & fa-  
cientia*

cientia verbū eius: magnus enim dies Domini,  
& terribilis valde: & quis sustinebit eū? Nunc  
ergo dicit Dominus: Cōuertimini ad me, in toto  
corde vestro, in ieiunio, & in fletu, & in plāctu:  
dum tempus est conuersionis; erit, cū ira  
Dei non poterit ampliū mitigari. Si enim,  
in hac vita, Georgi<sup>9</sup> Abbas, vidit aliquan-  
do Christum à tot millibus Sanctōrum, de-  
nique nec ab ipsa sua Matre potuisse miti-  
gari, quantò minus poterit mitigari, in die  
ira? Hi maximi sunt fructus, qui è terræ  
motib<sup>9</sup> vel factis, vel meditatè cogitatis o-  
riuntur; vt scilicet per eos intelligamus. 1.  
Peccati grauitatē; 2. Dei peccato irascentis  
æquissimam indignitatem. 3. Eiusdem, in  
ipsa ira, erga suos, bonitatem. 4. Christi au-  
thoritatem, ac potestatē. 5. Vltimi iudicij  
formidandā faciem. 6. Pœnitentiæ neces-  
sitatē. 7. Terrarū, quas tantopere ama-  
mus, calamitatem; ac prōinde, vt à terra  
morientium ad terram viuentiū; à creatu-  
ris ad Creatorē cōuertamur. *Vberibus ma-  
tres absinthia tetra medentes* illinere solent,  
vt adultiores liberos fastidio absterreant.  
Illinit & terris Deus suas amaritudines, vt  
cælū quæramus. Quid enim, stat terra? sed  
nō ita, vt non possit cōcuti atq; moueri. E-

Moseus  
Euirat. in  
Prat. spir,  
cap. 50.

M m rigun-

riguntur palatia, sed sæpe vno momento deiiciuntur. Surgunt in altū turres? tantò profundius cadunt. Florēt, gaudent, iubilant pagi, arces, vrbes? Sed ecce, vno terreatu hauriuntur, sepeliuntur, in cinerem rediguntur. Sic opes, sic honores, sic voluptates, sic ipsi homines euanesçūt. Ergo, *Psal. 43.* *fily hominum vsquequo grani corde? vt quid diligitis vanitatem, & queritis mendacium?* Paradisum peccato primi parētis amifistis, in terris; pater mendacij vos decipit, si quis iam vobis, hīc Paradisum promittit.

## §. I I.

*Paradisus mendax, mundi imago.*

*Paul. Vener. lib. 1. cap. 28. Orient. hist.* In Persidis regno, tyrannus quidam, Alaodinus dictus, vt memorat Paulus Vener. Muletam regionem occupauit, multosque sicarios, quos Assafinos vocant, hoc astu sibi adiunxit. In valle quadam amoenissima, & præruptis cinctā montibus, paradisum omni deliciarum genere, qualem suis Machometes promittebat, instruxit. In faucibus, per quas solus patebat aditus, arcem extruxit munitissimam, ne cui accedendi potestas esset, præterquam conscijs. Affirmabat interim, se clauēs Machometici paradisi habere, & potione  
sopo-

foporifera clam oblata, dormientes in eū locum deferēdos curabat. Experrecti cū omnibus delicijs affatim fruerentur, reuera, se in paradiso esse credebant. At præstigiator ille, capta opportunitate, medicato poculo sopitos rursus extra paradysum efferebat: eos ad omnia, quæ imperaret patranda, paratissimos postea habebat; quippe de paradiso, si Principi obedirent, securissimos. Hac arte non paucos Christianorum Principum insidijs circumuentos, oppressit. Tandem An. M. CC. LXII. Allaris rex Tartarorum senem hunc in paradiso, triennali obsidione, ad deditiōnem, fame compulit; locum aboleri, & assecclas omnes interimi iussit. Talem paradysum fingit, & proponit multis, in terra, Stygius Alastor. Sed reuera, *velut somnium auolans non inuenietur, transiet, sicut visio nocturna.* Et tamen hoc somno tam multos fallit; vt ad nutum habeat obedientes. Ita terram illis & terrena deprædicat, vt non tantū *adhereat pavimento anima eorum,* sed vt in ea se præcipites etiam perdere nō dubitent, more M. Curtij, cum equo in cauernam insipientis, ibi, vbi in ingentem finum, Romæ terræ labes confederat.

Iob. 20, 8.

Psal. 118.

## §. III.

*Terra, pro Dea, stultè adorata.*

Quid enim non faciunt homines, pro terra, quam paradisum esse, sibi imaginantur? pro terra litigant, duellant, digladiantur, bellantur; fidem, omnia sacra Deum ipsum abjurant, caco dæmonem adorant. Immò tanti illis est terra, ut præ ea cælum nolint: ut terram ipsam, tanquam

Alex. l. 3.  
cap. 22.  
post Plu-  
tarch.  
Tacit. de  
morib.  
Geranor.

Deam habeant, colantque. Ita enim Artaxerxes Persarum rex, pro vxoris salute, Terræ votum faciens, se illam, attacta humo, solenni prece, adoraturum promisit. Quin, teste Tacito, Germanorum populi, Rendigni, & Auiones, & Angli, & Varini, & Eudotes, & Suardones, & Nuithones, in commune HERTHVM. id est, Terram matrem colunt, eamque interuenire rebus hominum, inuehi populis arbitrantur. Est in Insula Oceani Castum nemus: dicatum in eo vehiculum veste contactum, attingere vni Sacerdoti concessum. Is adesse penetrati Deam intelligit, vectamque bubus feminis, multa cum veneratione, prosequitur. Lati tunc dies, festa loca, quacumque aduentu hospitioque dignatur. Non bella incunt, non arma sumunt clausum omne ferrum, paxque quies tunc tantum nota, tunc tantum ama-

ta: donec idem Sacerdos satiatam conuersatione mortalium deam templo reddat. Mox vehiculum & vestes, & si credere velis, numen ipsum secreto lacu abluitur. Serui ministrant, quos statim idem lacus haurit. Arcanus hinc terror, sanctaq; ignorantia, quid sit illud, quod tantum perituri vident. Hæc veteres Germani fecere. Ridemus veteres, & imitamur. Stultos Perfæ vocamus, nec nos ipsi, in terra adoranda, sumus sapientiores. Terram adorant, quisquis pro focis plus contendit, quam pro aris. Terram adorant, quisquis sibi ipse manus osculatur. Terram adorant, quicumque aurum, argentum, æs proprium & alienum in summis curis habet.

§. IV.

*In terra motu, terræ miseriam ac instabilitatem vel à Seneca considerari.*

Et quid est terra? quid hæc omnia in terris? pro quibus sudamus, laboramus, nauigamus, cælum ipsum Orco commutamus? nos ipsos perdimus? & vendimus æternam felicitatem? Caduca, fluxa, vana omnia. *Quid enim cuiquã satis tutum videri potest, si mundus ipse cõcutitur, & partes eius solidissimæ labant?* ait homo Ethnicus; *si quod Senec, li.*

6. nat. qq.  
cap. 1.

Unum immobile est in illo, fixumq<sup>3</sup>, ut cuncta in se intenta sustineat, fluctuat: si quod proprium habet terra, perdidit, stare: ubi tandem resident metus nostri? Quod corpora receptaculum inuenient? quò sollicita confugient, si ab imo metus nascitur, & funditus trahitur? Cōsternatio omnium est, ubi tecta crepuere, & ruina signū dedit: tunc præceps quisq<sup>3</sup>, se proripit, & penates suos deserit, ac se publico credit. Quam latebram prospicimus, quod auxilium, si orbis ipse ruinas agitet? si hoc quod nos tuetur ac sustinet, supra quod urbes sita sunt, quod fundamentum quidam orbis esse dixerunt, difcedit ac titubat? Quid tibi esse non dico auxiliij, sed solati potest, ubi timor fugam perdidit? Quid est, inquam, satis munitum? Quid ad tutelam alterius ac sui firmum? Hostem muro repellam? præruptæ altitudinis castella, vel magnos exercitus difficultate aditus morabuntur. A tempestate nos vindicat portus. Nimborum vim effusam, & sine fine cadentes aqua tecta propellant: fugientes non sequitur incendium: aduersus tonitrua & minas cali, subterraneæ domus, & defossi in altum specus remedia sunt. Ignis ille celestis non transuerberat terram, sed exiguo eius obiectu retunditur. In pestilentia mutare sedes licet. Nullum malum

sine



sine effugio est. Nunquam fulmina populos per-  
usserunt. Pestilens calum exhaustit vrbes, non  
abstulit: Hoc malum latissimè patet, ineuita-  
bile, auidum, publicè noxium. Non enim domos  
solùm, aut familias, aut vrbes singulas haurit,  
sed gentes totas regionésque subuertit: & modò  
ruinis operit, modò in altam voraginem con-  
dit: ac ne id quidem relinquit, ex quo appa-  
reat, quod non est, saltem fuisse; sed supra no-  
bilissimas vrbes sine ullo vestigio prioris habitus,  
solum extenditur. Nec desunt, qui hoc genus  
mortis magis timeant, quo in abruptum cum  
sedibus suis eunt. Et è viuorum numero vini  
auferuntur, tanquam non omne fatum ad e-  
undem terminum veniat. Hoc habet inter ce-  
tera iustitiæ suæ natura præcipuum, quòd cum  
ad exitum ventum est, omnes in equo sumus.  
Nihil itaq; interest, utrum me lapis vnus eli-  
dat, an monte toto premar; utrum supra me  
domus vnus onus veniat, & sub exiguo eius  
tumulo ac puluere exspirem, an totus caput  
meum terrarum orbis abscondat: in luce hunc  
& in aperto spiritum reddam, an in vasto ter-  
rarum debiscentium sinu: solus in illud pro-  
fundum, an cum magno comitatu populorum  
concidentium ferar. Nihil interest mea, quan-  
tus circa mortem meam tumultus sit: ipsa ubi-

*M m 4 que*

que tantundem est. Proinde magnum summus animum aduersus istam cladem, que nec evitari, nec prouideri potest. Desinamus audire istos, qui Campania renunciauere, qui que post hunc casum emigrauerunt, negantque, se unquam ipsam regionem accessuros. quis enim illis promitteret melioribus fundamentis hoc aut illud solum stare? Omnia eiusdem sortis sunt, & si nondum mota, tamen mobilia: hunc fortasse, in quo securius consistis locum, hac nox, aut hic ante noctem dies scindet. Unde scies, an melior eorum locorum conditio sit, in quibus iam vires suas fortuna consumpsit, & que in futurum ruinam suam fulta sunt? Erramus enim, si ullam terrarum partem esse exceptam immunemque ab hoc periculo credimus. Omnes sub eadem jacent lege. Nihil ita, ut immobile esset, natura concepit. Alia temporibus alijs cadunt. Et quemadmodum in urbibus magnis nunc haec domus, nunc illa suspenditur: ita in hoc orbe terrarum nunc haec pars facit vitiū, nunc illa. Tyros aliquando infamis ruinis fuit. Asia duodecim urbes simul perdidit. Anno priore Achaiam & Macedoniam, quaecunque est ista vis mali, que incurrit; nunc Campaniam lesit. Circuit fatum, & si quid diu praterijt, repetit. Quaedam rariū sollicitat, sa-  
pius

pius quadam. Nihil immune esse & innoxium  
finit. Non homines tantum, qui brevis & ca-  
duca res nascimur, vrbes oraq; terrarum &  
littora, & ipsum mare in seruitutem fati ve-  
nit. Nos tamen nobis permansura promittim?  
bona fortuna, & felicitatem, cuius ex omni-  
bus rebus humanis velocissima est leuitas, habi-  
turam in aliquo pondus ac moram credimus.  
Et perpetua sibi omnia promittentibus in men-  
tem non venit, id ipsum, supra quod stamus,  
stabile non esse. Neq; enim Campania istud aut  
Achaia, sed omnis soli vitium est, male coha-  
rere, & ex causis pluribus resolui, & summam  
manere, partibus ruere. Quid ago? solatiura  
aduersus pericula dare promiseram: ecce vndi-  
que timenda denuncio. Nego quidquam esse  
quietis aeternae: quod & perire non possit, & per-  
dere. Ego verò hoc ipsum solatij loco pono, &  
quidem valentissimi: quandoquidem sine re-  
medio timor stultus est. ratio terrorē pruden-  
tibus excutit: imperitis fit magna ex despera-  
tione securitas. Hoc itaq; generi humano di-  
ctum puta, quod illis subitâ captiuitate inter  
ignes & hostem stupentibus dictum est;

Vna salus victis, nullam sperare sa-  
lutem.

Si vultis nihil timere, cogitate, omnia esse

Mm s timenda.

*timenda. Circumspicite, quàm leuibus causis  
discutiamur. Hucusque Seneca.*

## §. V

*Sanctis, celo aspecto, terram sordescere.*

*Ælian.  
lib. 8. c. 15.  
de ani-  
mal.*

Hoc vtili absinthio terra sapientibus  
amarefcit, & dulcescit cælum. Apud In-  
dos tractus est, cui nomen *Phalacra*, quasi  
Latinè *Caluus*: eoque ita appellatur, quòd,  
qui herbam in eo nascentem degustarit, &  
pilos & cornua amittat. Itaque elephantis,  
nisi cogantur, non accedunt ad locum illū:  
immò verò prope cùm accesserint, perin-  
de ac homines prudentissimi, ab omni-  
lius loci gramine refugientes, pedem refe-  
runt. Ad hunc modum, quibus terra est do-  
micilium voluptatis, & qui delicias eius,  
tanquam herbas degustant, & cæsariem,  
& cornua, hoc est, ornamentum & robur  
animorum perdunt. Prudentes igitur, ele-  
phantorum ritu, quia non tam amœnita-  
tes, quàm vanitatem rerum terrenarum,  
tanquam pestifera gramina, & virulentas  
Circes herbas, considerant, facilè hæc ca-  
duca contemnunt, animumq; ad maiora  
traducunt. Vident enim, fallacia esse, quæ  
hîc blandiuntur. Experiuntur, non agi-  
tari tantùm ventis aërem, fluere aquas,  
volare

volare ignes, sed neque in ipsa terra solidam esse stabilitatem: cælum solum & cælestia perennare. Quamobrem, de S. N. Ignatio author vitæ illius hæc scribit: *Audinimus sæpè illum, extrema etiam senectute, cum in cælum, quæ liber circumspectus erat, oculos sustulisset, eosq; aliquantisper fixos habuisset, obortis, prælatitis, lachrimis, dicentem: HEU QUAM SORDET TERRA, CVM CÆLVM ASPICIO!* Sic docuit Eucherus, *raptandos nos in futurorum cupiditatem, si cogitemus, QUAM FVLGEBIT MAGNIFICA PERPETVIS FORMA REBVS, CVM SIT NVNC TAM SPECIOSA PERITVRIS?* Sic monuit D. Chrysofomus, quantumuis ampla & splendida regū palatia auro multo & gemmis fulgentia, nihil à ludicris puerorum ædificijs, à nidis ex luto festucisque compactis, à formicarum operibus differre censenda, si cælum suspexerimus. Sic jubet S. Ephrem nos inter terram ac cælum instituere comparisonem, & cognoscere, quàm omnia, in terris, tandem cadant, sicut frumentum, quod, suo tempore maturum metitur; in cælo autem, & sol, & luna, & omnes astrorum chori, à primo creationis suæ die, lumen incorruptum

Petr. Ribad. lib. 10. c. 2. vitæ.

Eucher. in paran. ad Valerianum.

S. Chrysof. serm. 2. ad Coloss. & serm. 15. in 1. ad Timoth. & hom. de vanit. vitæ.

S. Am-  
bros. l. I.  
Hexaem.  
cap. I.

ptum seruent, quo ipso quondam illius regionis indicant perpetuitatem. Sic D. Ambrosius, magnitudine & pulchritudine Solis perpensa, digito monstrari scribit, ex ipsa siderum formositate, magnitudine, duratione, Conditoris pulchritudinem, immensitatem, & æternitatem, cuius creatæ venustati, ac moli, & æuo incomparabiliter anteponebam Si enim, quæ fixa sunt & stabilia, caducis; si magna paruis, si vera vanis, si fugitiuis æterna bona censentur meliora, quàm facile est, inter hæc inferiora, & illa superiora discernere? inter lutum & aurum, inter vitra & gemmas facere electionem?

§. VI.

*Caduca, in mundo omnia, calo perdurante.*

Blandiuntur flores? nullus ultra mensem suum perdurat. Arrident silvæ? exciduntur, aut ventis sternuntur, aut conflaurant, aut senio arescunt. Allicit elegans vultus? Nihil formâ fugacius, adeo ut Phauorinus pronunciet: post paucos annos, in viuente etiam nū Alcibiade, quondam pulcherrimo, ab ijs ipsis, qui eius formam demirati aliàs fuerant, Alcibiadem quæsitum fuisse. Virent prata? flauescunt  
arua?

Phauo-  
rin. apud  
Stobæum  
serm. 66.

arua? florent vineæ? prata inundans flu-  
uius, arua imber, vineas grando destruit.  
Defendunt te ædes, arcēs, vrbes? poten-  
tem faciunt arma; diuitem rura, felicem  
clara pignora, & penè immortalem multi  
nepotes? hos omnes mors auferet; rura  
accident alluuiiones; arma hostis. Denique  
nulla tam est firma domus, nulla arx tam  
celsa, nulla tam potens ciuitas, quam ter-  
ræ motus non possit solo æquare. Hæc vbi  
conspexeris, aliò oculos conuerte, & disces  
dicere: *Heu quàm sordet terra, cùm cælum  
aspicio!* Quò nos manu ducens D. Chry-  
sostomus, *Vides cælum hoc, inquit, quàm  
pulchrum, quàm amplum, quàm magnificum  
sit, quemadmodum vario stellarum ordine ex-  
ornetur, & splendeat, quantum edurare po-  
tuerit temporis? Iam enim quinq; millia an-  
norum, atq; etiam plus seruatur, & constat,  
nec tamen, longo temporis spatio effectum est,  
vt senescat, sed ad modum corporis adolescentis  
robusti floret, vigetq; atate; & quàm principio  
sortitum est pulchritudinem, eandem inte-  
gerrimam seruat, nulla ex parte factum de-  
terius, tanto spatio temporis.* Hæc sedes bea-  
torum nullo motu, nullo attritu, nulla  
tempestate destruetur. Tanto igitur opta-  
bilior est, quanto diuturnior. §. VII.

S. Chry-  
sost. homi-  
2. contr.  
Anomæ-  
os.

## §. VII.

*A terrenis gaudijs ac fugitijs, aeterna esse  
estimanda.*

Spectaculum vnius diei, aliquot horarū  
conuiuium, symphonia breui tempore,  
aures permulcens, magnum quid esse  
putatur: maius putaretur, si per duos dies,  
si per mensem, si per annum, duraret. Vni<sup>9</sup>  
anni consulatus quanti est à Romanis fa-  
ctus? longè pluris dictatura per quinquen-  
nium continuata; aut regnum imperiū-  
ue, tota vita, productum. Quanti ergo fa-  
cienda est illa Diuorum sedes, ille honor,  
ille triumphus & gloria, qui finem nesciet?  
Si enim filij huius lucis, exiguis istis, &  
ferè momentaneis bonis, sæpe ita capiun-  
tur, vt se capere non possint; quo desiderio  
exardescere debemus, si bona summa, in-  
finita, sempiterna nobis preparata videa-  
mus? In terris, vix acquirimus diuitias, &  
rursus amittimus; vix attingimus dignita-  
tes, & deponimus; vix gustamus volupta-  
tes, & auellimur. In cælo possidebimus o-  
pes, honores, delicias, non decem, centum,  
vel mille annis, sed æternas, sed sæculis  
nunquam desituris; quorum suauitas non  
sensim, & per successum, sed tota simul per-  
cipie-



cipietur, immensa quadam accumulatione, infinitorum bonorum, in infinitum atque æternum, simul ac velut vna collectione fruendorum.

§. VIII.

*Omne gaudium terra finis vile, celi æternitas pretiosum facit.*

Disce hinc, ô quisquis es, seu iuuenis, seu senex; diues & pauper; nobilis & ignobilis, agnoscere terræ vilitatem, & rerum terrenarum fluxarumq; vanitatem: disce pretium cæli & cælestium dignitatem æstimare, mundóq; tandem contempto, dicere: *Heu quàm sordet terra, cum cælum aspicio!* Qui enim tanta, in terris, mala, & tantilla, tamque caduca bona esse videt; in cælo autem omnia stabilia, fixa, æterna, summa, & summè bona reperiri intellexit, vel fatuus est, & excors, vel ista illis anteposit. Imò illa omnia nullius esse momenti iudicat, si cum istis comparentur. Quidquid enim transit, postquam transijt, perinde est, ac si nunquam extitisset. Posside centum jugera, mille agros, imò mille regna; posside Cræsi opes; habe Xerxis potentiam, & omnem Persarum apparatus; omnem Sardanapali luxum; acquire quid-

quidquid est honorum & titularum, quidquid gloriae & dignitatum; nata in delitijs, volutare in voluptatibus, etiam longa aetate; fruire denique caelo in terris; si tamen postea haec amittas, si jugera, si regna à te auferantur; si opes alius tollat; si potentiam eripiat; si titulos extinguat; si de gradu dignitatis deiciat; si sensus & valetudo destructa voluptates excludat, quid ex omnibus illis utilitatis, quid delectationis es percepturus? transierunt. desierunt. non existunt amplius. commodi nihil, moeroris multum reliquerunt. Imò tristissima memoria recordaberis, te bonis gaudijsque illis omnibus esse spoliatum. Quae recordatio tanto te magis affliget ac exagitabit, quanto bona illa amissa tibi visa fuerunt maiora ac meliora, quantoque chariora extiterunt. Quò enim dulcior est alicuius rei possessio, eò acerbior fit eius amissio. Eapropter, si ceterae causae omnes deessent, haec sola sufficeret, ad rerum instabilium amorem abijciendum; quia scilicet necessario deserendae sunt, & non sine ingenti dolore deseruntur. At divina, caelestia, aeterna, nullo tempore, nullo casu amittuntur; neque amitti queunt. Quamobrem-

rem sunt rebus his caducis infinites me-  
liora atque optabiliora, vel hoc solo etiam  
capite, quia durabiliora.

§. IX.

*Gaudiorum terrenorum vanitas ad æternum  
duratura nos gaudia inuitat.*

Huic durationi accedit magnitudo bo-  
norum, quæ inibi obtinget. Quantis enim  
spatijs cælum illud latè circumductum ter-  
rarum angustias superat; tanta excedit im-  
mensitate gaudium beatorum, huius mun-  
di illecebras. Res, quæ hîc pariunt delecta-  
tionem, non simul, sed sensim, & successi-  
uè, nec sine interruptione, & plurimarum  
molestiarum admixtione, sua comoda ad-  
ferunt; quorum cum alterû succedit, prius  
evanescit. At, in cælo, totum illud æternum  
bonum, electis promissum, electorû est, &  
ab electis in æternum totum simul possi-  
detur. Nam *quamvis non fuerimus ab aeterno,*  
*tamen possidentes Deum, fruemur in eo etiam*  
*æternitate; quatenus infinitis retro sæculis ex-*  
*stitit, mente nos retrorsum, & antrorsum ex-*  
*tendentes; sicut & tota immensitate fruemur,*  
*in immensum illud pelagus nos immergentes,*  
*vnus enim erimus spiritus cum Deo. Sensum*  
*igitur & gustum habebimus diuinorum, sicut*

*Nn & ipse*

Leonard.  
Lect. li. 4.  
de diuin.  
Perf. c. 4.

*Et ipse Deus habebit, et si dispari gradu. Quis itaque ex hac terra morientium ad illam terram uiuentium non aspiret? Immo quis diuinam hinc prouidentiam non agnoscat, amet, prædicet, quæ si aliam nullam causam haberet (cùm tamē habeat plurimas) tamen ob hanc solam benignissimè terras constringeret, concuteret, tot mortibus & miserijs repleret, ut eam nauisere, ac deserere disceremus; atq; ad meliorem, ex hoc exilio potiùs, quàm natali solo, patriam appetendam incitemur.*

## §. X.

*A considerato terra puncto, ipsos etiam Ethnicos, ad caelestem amplitudinē inuitatos.*

*Cur hoc non faceremus Christiani? Ethnici fecerunt. Quorum vnum iuuat testem adducere, ne videamur nervos nimium intendere, dum terrenas & delicias mentes, ad rerum vanarum, mundi-que huius contemptum, & desideria caelestium inuitamus. Ita igitur Romanus sapiens loquitur. Virtus, quam affectamus, magna est. non quia per se beatum est, malum caruisse, sed quia animum laxat, ac preparat ad cognitionem caelestium, dignumq; efficit, qui in consortium Dei veniat. Tunc consummatum habet*

Senec.  
l. 1. Nat.  
99. in  
procem.

habet plenumq; bonum sortis humana, cum  
calcato omni malo, petit altum, & in interio-  
rem nature sinum venit. Tunc iuuat inter si-  
dera ipsa vagantem, diuitum pauimenta ri-  
dere, & totam cum auro suo terram: non  
illud tantum dico quod egesit & signandum  
moneta dedit, sed & illud, quod in occulto ser-  
uat posterorum auaritia. Nec potest ante con-  
temnere porticus, & lacunaria ebore fulgen-  
tia, & tonsiles siluas, & deriuata in domos flu-  
mina, quam totum circumeat mundum, &  
terrarum orbem superne despiciens, angustum,  
& magna ex parte opertum mari, etiam qua  
exstat late squalidum, & aut vstum, aut ri-  
gentem, sibi ipse ait: Hoc est illud punctum,  
quod inter tot gentes ferro & igni diuiditur?  
O quam ridiculi sunt mortalium termini!  
Vltra Istrum Dacus non exeat: Strymo  
Thracas includat: Parthis obstat Euphrates:  
Danubius Sarmatica ac Romana distermi-  
net: Rhenus Germania modum faciat: Pi-  
reneus medium inter Gallias & Hispanias ju-  
gum extollat; inter Egyptum & Ethiopias  
harenarum inculta vastitas jaceat. Si quis for-  
micis det intellectum hominis, nonne & illa  
vnam aream in multas prouincias diuident?  
Cum te in illa verè magna sustuleris; quotiens

videbis exercitus subrectis ire vexillis, & quasi magnum aliquid agatur, equitem modo ulteriora explorantem, modo à lateribus affusum, libebit dicere:

It nigrum campis agmen.  
Formicarum iste discursus est, in angusto laborantium. Quid illis & nobis interest, nisi exigui mensura corpusculi? Punctum est istud, in quo nauigatis, in quo bellatis, in quo regna disponitis: minima, etiam cum illis utrimque Oceanus occurrit. Sursum ingētia spatia sunt, in quorum possessionem animus admittitur: at ita minimum secum ex corpore tulit, sordidum omne deterfit, & expeditus lenisque ac contentus modico emicuit. Cū illa tetigit, alitur, crescit: ac velut vinculis liberatus, in originem redit. Et hoc habet argumentum diuinitatis suae, quod illum diuina delectant: nec ut alienis interest, sed ut suis. Secure spectat occasus siderum atq; ortus, & tam diuersas concordantium vias. Observat ubi quae stella primum terris lumen ostendat, ubi culmen eius summum, qua cursus sit, quousque descendat. Curiosus spectator excutit singula, & querit. Quidni querat? Scit illa ad se pertinere. Tunc contemnit domicilij prioris angustias. Quantum enim est, quod ab ultimis lit-  
toribus

toribus Hispania usque ad Indos jacet? Paucissimorum dierum spatium, si nauem suus ventus implevit. At illa regio caelestis per triginta annos velocissimo sideri viam praestat, nusquam resistenti, sed aequaliter cito. Illic demum discit, quod diu quaesivit: illic incipit DEVM nosse; cui, vt Arnobius loquitur, pun-

Arnob. lib. 7. aduers. Gét.

§. XI.

Omnia, in mundo, utilia esse, etsi nos utilitatem nesciamus.

Quod si igitur, è re maximè formidanda, qualis est terræ motus, quædam existunt utilitates, quid de ipsa terra atque elementis ceteris debet cogitari? quàm vtibiles, & in rem nostram, erunt reliquæ creaturæ? quarum quidem vires & præstantes effectus plurimos vel experientia, vel industria humana indagauit, haud est tamen ambigendum, plurimas quoq; earum nos virtutes latere, causasque maximas, in diuinis consilijs, & Dei diphthera, reconditas, à nobis ignorari. Quod vel ipsum admirabili Numinis prouidentia perbene cèset D. Chrysofostomus ascribendum, cuius sapientissima dispositione factum est, vt neque omnia nesciremus, ne deessent no-

S. Chrysof. hom. 10. ad pop.

bis tam industrij Architecti laudandi opera & argumenta; neque omnia sciremus ne scientijs inflati superbiremus. E cuius S. Patris doctrina, discimus, si quid legamus, audiamus, aut videamus vel esse, vel fieri, in mundo, cuius nobis vel usus, vel causa incognita in mentem non veniat; cogitandum tamen esse, nihil à natura, nedum à Deo, fieri frustra, sed usum maximum, causamq; optimam eiusce rei creandæ, vel permittendæ fuisse. *Quoniam mirabilia opera Altissimi solius, & gloriosa, & abscofa, & inuisa opera illius: vt, in omnium varietate, merito opifex earum suscipiendus, amandus & celebrandus sit, neque de nobilissimo cuiusq; fine & vlu sit à quocquam dubitandum. Quemadmodum enim, qui tabernam Pharmacopolæ intrans, innumeratas hîc suo ordine pyxides, illic testas; alibi capsas, alibi vitra, & ampullas, in suis forulis, longa serie stantes conspicit; itémque aridos flores, siccatas herbas, fibras radicum, mensuras, pondera, vasa, & omnis generis instrumenta; quibus alia decoquuntur, alia refrigerantur, alia percolantur; alia, quæ in colo subsederunt, contrita lauigantur; alia in junceis fiscelis,*

Ecclesi. 11.

4.



lis, vel sparteis faccis exprimuntur; alia  
 forficulis incisa incernuntur cribro, alia  
 tunduntur & teruntur pistillo; sicut, in-  
 quam, qui hæc conspicit, etsi ignoret, ad  
 quem ea rerum & negotiorum varietas  
 usum seruiat, haud tamen iudicat, eam  
 temerè esse ab herbario, aut medicamen-  
 tario illuc comportatam; sed potiùs om-  
 nia, quæ videt, vtilia esse censet, ad homi-  
 num sanitatem conseruandam, aut restau-  
 randam: ita, qui in hunc mundum ingres-  
 sus, reperit in eo ignes & aquas, incendia  
 & diluua; ventos & imbres; procellas &  
 tempestates; videtque alios in camino  
 tribulationis probari, & velut decoqui;  
 alios per naufragia, in ipso Oceano, refri-  
 gerari; alios con fractis membris, velut in  
 mortario contundi; licet causam, ob  
 quam id fiat, non perspiciat; non tamen  
 debet existimare, Deo causam nullam esse;  
 sed ignorantia suam diuinæ sapientiæ sub-  
 mittat, & cum S. Augustino dicat: *Etsi nos*  
*non intelligamus, quare quidque fiat, demus*  
*hoc prouidentia ipsius, quia non fit sine causa;*  
*& non blasphemabimus. Cùm enim cœperi-*  
*mus disputare de operibus Dei, quare hoc, &*  
*quare illud; &, Non debuit sic facere, malè*

S. Augu-  
 stin. in  
 Psal. 149.

Nn 4 fecit

fecit hoc; Ubi est laus Dei? Omnia sic considera, quomodo placeas Deo, & laudes artificem. Quod si forte intrares in officinam fabri ferrarii, non auderes reprehendere folles, incudes, malleos. Et da imperitum hominem, nescientem quid quare sit, & omnia reprehendit. Sed si non habeat peritiam artificis, & habeat saltem considerationem hominis, quid sibi diceret? Non sine causa folles, hoc loco, positi sunt; artifex nouit quare, etsi ego non noui. In officina non audeat vituperare fabrum, & audeat reprehendere, in hoc mundo, DEVM?

## §. XII.

Varij, qui creaturas corrigere, aut Dei temerarios mulatores esse voluerunt,

Supra  
cap. 4.  
num. 2.

At nemo est, qui audeat? Enimuero supra iam vidimus id ausum fuisse regem Alphonsum. Neque is primus fuit, neque postremus. Nam quia, juxta Comicum axioma, decet secundas fortunas superbia, etiam ante Alphonsum alij quidam Principes, tantum recordi fastu, opera Dei corrigere voluerunt. Xerxes ille Persarum vertex, qui inter omnes orbis Principes facile primas vi- sus est obtinuisse, voluit etiam stultissima superbiae magnum ridiculumque exemplum esse. Cum enim intellexisset, Hellepontum

Herodot.  
l. 7,

ex Asia in Europam coniungi, indignè ferens, iussit trecenta Helleſponto verbera infligi, & in eius pelagus par compedum demitti. Audini etiam, ait Hierodotus, miſiſſe, qui ſtigmata Helleſponto inurerent, certè mandavit, ut colaphos Helleſponto incenterent: dicètes hæc barbara ac veſana verba: O aqua amara, dominus hanc tibi irrogat pœnam, quòd eum læſiſti, qui de te nihil mali meritus erat. Te tamen rex Xerxes, velis, nolisue, transmittet, meritoq; nemo hominum tibi ſacrificat, ut doſo pariter, & amaro flumini. Idem Plutarchus teſtatur eſt. Quin & ad montem Atho eiuscemodi epiſtolam miſit. Atho diuine, celum tangens vertice, noli meis operibus lapides facere magnos & intractabiles, alioqui te exciſum in mare deturbabo. Ad has ſtultitiæ minas perducit ſuperbia. Quin & habet imitatores. Qua de cauſa Pompeius M, Lucullum Xerxem togatum vocabat, ob iniectas mari moles; & mare, ſubfoſſis montibus, in terras receptum. C. Caligulam Cæſarem Seneca ſcribit, celo iratum, quòd obſtreperet Pantomimis (quos imitabatur ſtudioſius, quàm ſpectabat) quodque comeſſatio ſua fulminibus terreretur, ad pugnam vocauit Iouem, & quidè ſine miſ-

Plutarch.  
lib. de ira  
cohiben-  
da.

Senec.  
l. i. de Ira.  
c. vlt. itè  
Dio &  
Sueton.  
in eius  
vita.

N n 5 sione,

sione, Homericū istum versum exclamans:  
 ἢ μὲ ἀνάειπ', ἢ ἐγὼ σε: *aut tu me tolle, aut ego  
 te.* At quid mirum, si Iouem prouocauit,  
 qui se ipsum vt Iouem fingeret, ex sorore  
 Iunonem feci; manibus Victoriae se coro-  
 ratum somniauit; Lunamque coniugem  
 suam iactans. Vitellium interrogare non  
 erubuit, *An Deam secum conuersantem vi-  
 deret?* Cui ille falsa adulatione respondit:  
*Minimè, Domine, tantummodo enim vobis  
 Dys licet inter vos videre.* Ita de eo Xiphili-  
 nus refert, qui etiam ait, eum, vt per om-  
 nia Ioui similem se ferret, etiam machinis  
 quibusdam effecisse, vt flamma inter nu-  
 bes coruscasse, & cælum tonitru contre-  
 muisse videretur. Cotys quoque rex Thra-  
 cia, voluptaria vita, adeò demens factus  
 est, vt Mineruæ se coniugio dignum ratus,  
 instructo nuptiali epulo thalamoque, eius  
 aduentum expectaret, moræque pertæsus  
 satellitem mitteret, qui videret, an Miner-  
 ua iam in thalamum venisset; quem, cum  
 retulisset, *neminem ibi esse*, sagittis confo-  
 dit. Idem fecit secundo. Tertius duorum  
 exitio cautior factus, mendacio euasit, re-  
 spondit enim reuersus, *eum à Dea cupidè  
 expectari.* Sic ille in cubiculum secedens,  
 qualis

Athen-  
 us lib. 12.

qualis ipse fuit Deus, talem Deam inuenit, id est, nullam, vanus vanitate pastus. Sed & recentiora sunt exempla. Nam & Attila, post deuictos hostes Ætium & Thrasimundum, dixisse fertur: *Nunc stellas præ se cadere, terram tremere, se malleum esse uniuersis orbis*: quin eò arrogantia processit, ut suo titulo *flagellum Dei* adijci, itaque & in litteras referri, & nominari se mandaret. Vnus hîc insanijt. Lopefius Gomara de Mexicanis regibus memorat, eos, cum consecrarentur, more gentis, jurare debuisse in hæc verba: *Effecturos se, ut Sol cursum splendoremq; suum teneret, nubes pluerent, riuus currerent, & terra produceret omne genus frugum*. Quasi Dij essent, aut à Iosue Soli ac Lunæ imperare didicissent. In diuinis quoque litteris Senacherib se Deo potentiorrem jactauit; & Balthasar filius Nabuchodonosor, mali corui malum ouum, aduersus dominatorem cali & terre eleuatus est. Nicanor quoque Iudæos antè vendidit, quàm eos in campo videret. Herodes Agrippa, veste regia indutus populum acclamantem; *Dei voces, & non hominis*, cum lubentia audiuit. Et quanti fuerunt, qui vsque ad cælum ascendere, via non recta tenât.

Nicolaus  
Olatius in  
eius vita  
cap. 9.

4. Reg. 19.  
16.

Dan. 5.

2. Macha.  
8. 34.

Act. 12.  
22.

Gen. 11.

4.

Gen. 3.

5.

tentârunt ? ipsi primi parentes, sicut Dii esse voluerunt. Quæ superbia ita nunc est hominibus hæreditaria, vt ab infantia iugum omne fugiant, dominatum affectent, feruis, equis, canibus, frigori, æstui, siccitati, pluuijs, cælo & terris, ignibus & aquis irascantur. Denique multis nihil fit rectè; quia, sicut podagrîci, rebus omnibus, & ipsis adeò etiam plumis offenduntur; velentque omnia, non ad Dei, sed ad suum nutum administrari. Sapienter igitur Deus, vel hac de causa, multa aliter finit euenire, vt vel hinc sapiant, agnoscantque alium supra se mundi Gubernatorem. Ita Canutus rex Anglorum repressit adulatorum; qui cum omnia ad vultum & nutum regis conuerti diceret: Rex sedile suum, in litore maris, statui iussit, cum ascenderet. Ascendenti mari dixit: Tu mea ditionis es, & terra, in qua sedeo, mea est, nec fuit, qui meo resisteret imperio. Impero igitur tibi, ne in terram meam ascendas, nec vestes, nec membra dominatoris tui mædefacias. Mare vero, de more, conscendens pedes regis, sine reuerentia mædefecit. Ille igitur resiliens: sciant, inquit, omnes habitantes orbem, vanam esse, & frivolum regum potentiam, nec regis quempiam

H. Hun-  
tindonē.  
fis Cam-  
bdenus  
in Britan-  
nia. pag.  
191.

è terra motibus discamus?

573

piam nomine dignum, prater eum, cuius  
nutui calum, terra, mare, legibus obediunt  
eternis: nec unquam postea coronam capiti  
imposuit. Multi, si & hæc, & quæ hucuf-  
que de terra marique dicta sunt, perpen-  
derent sedulo, non coronas tantum, sed  
etiam cristas dmitterent, dicerentque:

*Domine Deus virtutum, quis similis tibi?* Ps. 88. 10.

*potens es, Domine, & veritas tua in cir-  
cuitu tuo. Tu dominaris po-  
testati maris.*

Cum facultate Superiorum.



INDEX